

Prohibetur ex jure Monachis esse Paternos. Parens non debet propriam prolem suscipere, quia aliàs contraheret cognationem spiritualem cum conjugē, ob quam non possent debitum petere. Nisi baptizaret in casu necessitatis; tunc enim non amittit jus petendi. Episcopus autem post super tali impedimento petendi debitum dispensare. Clericatus cap. 115. num. 61.

3006. Non licet avo, vel avia suscipere nepotem, vel neptem; quia continentur sub prohibitione patris, & matris. *L. Justa 201. ff. de Verb. signif. Clericatus cap. 115. num. 62.*

3007. Nec licet Monachis, & Regularibus esse Paternos; nam licet prohibitio in cap. Non licet Abbati, sit expressa pro Monachis, est servanda à ceteris Regularibus, nam in Rituali habetur: *Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, nec alii cujusvis Ordinis Religiosi à seculo segregati.*

3008. In Baptismo privato non requiritur Paternus; qui si adhibeatur, cognationem spiritualem non contrahet; quia jura de Baptismo solemnī loquuntur, adeoque non extendenda ad privatū.

3009. Insuper nec cognationem spiritualem contrahunt Paterni in Baptismo solemnī tenentes puerum, in domo privatim ob vitæ periculum ab Obstetrice baptizatum. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 62. Tambur. de Baptism. cap. 1. §. 8. num. 3. quia jura loquuntur de Baptismo solemnī vero, & absoluto.

3010. Non contrahitur cognatio, nisi Paternus tangat baptizandum, aut confirmandum in ipso actu Baptismi, seu Confirmationis; quia jura requirunt, ut teneat in fonte baptizandum, dum baptizatur, &c. Unde non sufficit sola assistentia, aut responso ad Catechismum, vel quod baptizatum è manu Sacerdotis recipiat post Baptismum. Tambur. tom. 2. pag. 13. §. 4. & pag. 18. cap. 4. cum Com.

3011. Hinc Joseph de Augustino, & Tambur. de Bapt. dicunt, quod si quis suscipiat per Procuratorem non contrahit cognationem, nec ipse, nec Procurator. Non ipse; quia non ipse tenet, cum non tangat. Nec Procurator; quia licet teneat, non tenet nomine proprio. At Clericatus cap. 115. num. 63. tenet, contrahi à mittente, non à Procuratore, & ita decidisse S. Congr. refert ex Coton. lib. 2. contr. 2. num. 90. & ex Nicol. Elucubr. Civil. tom. 1. pag. 50.

3012. Non contrahitur cognatio, nisi à susceptore baptizato, nec in Confirmatione, nisi à susceptore confirmato; unde non contraheret Catechumenus. Diana part. 10. tract. 16. ref. 39.

3013. Paternus suscipiens filium infidelium non contrahit cognationem cum ejus parentibus infidelibus, nisi postquam venient ad fidem, & quo casu esset attendenda cognatio. Clericatus cit. num. 57. cum Sylv.

Vide infra de Matrim. Verb. Cognatio spiritualis.

Scotus in 4. d. 3. q. 1. litt. D. E. q. 2. litt. D. H. p. d. 18. q. unic. litt. H. d. 4. q. 1. litt. A. q. 5. litt. H. d. 6. q. 2. litt. G. d. 6. q. 2. litt. A. C. d. 7. q. 1. litt. D. d. 5. q. 2. litt. A. C. D. E. F. G. disp. 4. q. 4. litt. D. H. q. 5. litt. A. C. d. 6. q. 9. litt. M. d. 6. q. 7. litt. A. B. d. 24. q. unic. litt. I. d. 4. q. 6. litt. C. d. 5. q. 3. litt. A. d. 3. q. 2. litt. G. I. N. O. d. 6. q. 2. litt. A. Maltrius in Theol. Mor. disp. 17. Joan. la Cruz pag. 297. Leander de Sacram. tom. 2. Tamb. tom. 2. lib. 2. Bulemb. lib. 6. tract. 2. cap. 1. Clericatus cap. 115.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

3014. **C**onfirmatio est, Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, sub præscripta forma verborum ad fidei robur consequendum.

3015. Materia remota, est Chrisma consecratum ex oleo olivarum, & balsamo. Balsamum esse de necessitate Sacramenti, est tutius. Chrisma vero debet esse ab Episcopo benedictum, aliàs Sacramentum esset nullum; quia sic fuit à Christo pro materia institutum. Cardenas disp. 2. num. 45.

3016. Materia proxima, est Unctio facta in fronte in formam Crucis.

3017. Unctio fieri debet immediatè manu, vel digito Episcopi; unde non est tutum, si fiat instrumentum.

3018. Forma sunt verba: *Ego signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Omnia præter Amen sunt necessaria ad valorem.

3019. In collatione hujus Sacramenti additur alapa, qua confirmatus percussitur, ut memor sit, se hoc Sacramentum recepisse, adeoque non audeat iterum ad illud accedere, cum non sit iterabile. Et insuper, ut intelligat, debere pati injurias pro Christiana fide profuturam. Hæc Fenech. ex Tol.

3020. Non peccat mortaliter Episcopus, si omitteret dare alapam. Clericatus cap. 116. num. 25. cum Com.

3021. Non incurritur irregularitas per reiterationem Confirmationis. Clericatus cit. num. 29. quia jura solum loquuntur de reiteratione Baptismi; & ex cap. Qui 15. de Sent. Excom. in 6. irregularitas nulla incurritur, nisi sit expressa in jure.

3022. Minister hujus Sacramenti est solus Episcopus. Unde non sufficit, si fiat à simplici Sacerdote ex commissione Episcopi, bene vero ex commissione Papæ; quia hoc concessit Greg. I. & pro Indiis Greg. XIII. Quoties autem Summi Pontifices è duabus opinionibus eligunt unam, illam proponunt sequendam, & reddunt certam. Sieri num. 137.

3023. Quamvis ex jure non liceat Episcopo alienum subditum in sua Diocesi confirmare, consuetudo tamen id licitum reddidit; quia præsumitur

CAPUT IV.

DE POENITENTIA.

tur consensus proprii Episcopi. Diana part. 2. tract. 17. ref. 17. & part. 4. tract. 4. ref. 50. Clericatus cit. num. 15.

3024. At non potest in aliena Diocesi proprium subditum confirmare, nisi de licentia Episcopi loci; aliàs incurrit ipso jure suspensionem, ex Trid. sess. 6. de Reform. cap. 5.

3025. Non peccat Episcopus, si ex justa causa ad sui arbitrium administrationem hujus Sacramenti per tres, aut quatuor annos retardet. Et potest quacumque die, etiam feriata, ministrare, & tempore interdicti, ex cap. Quoniam, de Sentent. Excom. in 6.

3026. Subiectum, est omnis homo baptizatus, sive infans sit, sive adultus. Usus est, ut non conferatur pueris ante usum rationis, ut recordentur, se illud recepisse.

3027. Sed in hoc (ait Clericatus cap. 116. num. 26.) exuberat arbitrium Episcopi, itaut, secluso scandalo, etiam puerum trium annorum possit confirmare absque peccato; & semper in dubio debet inclinare ad favorem pueri petentis Sacramentum, ne ob varia rerum discrimina contingat, ipsum mori absque gratia hujus Sacramenti. Jord. ibid. num. 46. 37. & 48. Coton ubi supra num. 42. & quod in articulo mortis possunt statim confirmari nedum adulti, sed etiam infantes, ac etiam perpetuo amentes.

3028. Imò conferri posse amentibus, ne priventur effectu gratiæ hujus Sacramenti, absolute docent alii.

3029. Suscipiens debet esse in gratia, aut in eâ poni statim per contritionem putatam. Idem dic de Ministro conferente.

3030. Paternus unus tantum esse debet, ex cap. Non plures, de Consecr. dist. 4. & Trid. solum in Baptismo concessit unum, & unam, cui accedit praxis. Clericatus cit. num. 30. Vide à num. 3005. ad 3013.

3031. Effectus hujus Sacramenti sunt. 1. Augmentum gratiæ habitualis. 2. Carácter, quo signatur ut miles intra militiam Christi, ad fidem cum robore propugnandam, juxta illud S. Melchiodis, ex Trident. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. 3. Est cognatio spiritualis de qua in Matr. Vide num. 3004.

Scotus in 4. d. 2. q. 1. litt. C. dist. 7. q. 1. litt. A. B. D. E. F. q. 4. litt. A. dist. 42. q. unic. litt. K. Maltrius in Theol. Mor. disp. 17. q. 5. Joan la Cruz pag. 315. Leander de Sacram. tract. 3. Tamb. tom. 2. lib. 3. Bulemb. lib. 6. tract. 2. cap. 2. Clericatus cap. 16. Meado.

DE EUCHARISTIA

3032. **E**us actum est in 3. tom. à num. 187. & hic à num. 2914.

3033. **P**œnitentia Christiana dicitur secunda tabula post naufragium; in ordine ad Baptismum, qui dicitur prima tabula ad invenendam salutem post commune naufragium per peccatum originale. Pœnitentia verò est secunda tabula ad invenendam salutem post naufragium particulare per peccatum mortale post Baptismum commissum.

3034. Est duplex: Virtus, & Sacramentum. Pœnitentia virtus est, virtus, quæ dolemus de peccatis commissis; quatenus sunt offensæ Dei: & est ipsa contritio. Pœnitentia Sacramentum est, sacramentum reconciliationis hominis cum Deo ex peccatis commissis post Baptismum, virtute clarium, seu absolutionis Sacramentalis.

3035. Est Sacramentum necessarium necessitate mediæ, & præcepti ex Trident. sess. 14. cap. 2. ita ut quis, postquam mortale commiserit, salvari non possit nisi per Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto, elicendo actum contritionis. Vide in pag. 71. prop. 18. ab Alex. VIII. damna.

PARTES SACRAMENTI POENITENTIÆ

3036. **S**unt materia, forma, & satisfactio. Materia, & forma sunt partes essentielles; satisfactio integralis.

MATERIA

3037. **E**st duplex, remota, & proxima. Remota est peccatum; & est etiam duplex, necessaria, & sufficiens. Necessaria, est omne peccatum mortale post Baptismum commissum, non jam ritè confessum, & absolutum. Sufficiens, est omne peccatum veniale, vel mortale aliàs ritè confessum, & absolutum. Vide num. 3048. Materia proxima, sunt tres actus pœnitentiæ. Cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio.

3038. Peccata dicuntur materia remota. 1. Quia sunt materia, supra quam cadit dolor, qui est materia proxima in ordine ad formam absolutionis, & Sacramentum. 2. Quia peccata sunt materia per formam absolutionis, & Sacramentum Pœnitentiæ removenda.

3039. Peccata ante Baptismum commissia, nec possunt, nec debent esse materia Sacramenti Pœnitentiæ; quia spectant ad forum Baptismi, ex Trid. sess. 14. cap. 1. Commissa verò in instanti Baptismi sunt Sacramenti Pœnitentiæ materia; quia sunt peccata hominis baptizati.

3040. Peccata mortalia dubia, sive dubio positivo, sive negativo, de quo in num. 19. sunt necessario aperienda in confessione. Volpi de Pœnitent. ref. 145. num. 3. Diana part. 3. tract. 4. resol. 107. quia aliàs quis se exponeret periculo peccandi, & errandi.

di circa integritatem confessionis; & ex Trident. *sess. 14. cap. 5.* confitenda sunt peccata, quorum conscientiam habemus; de dubiis autem conscientiam dubiam habemus, adeoque ea confiteri debemus.

3041. Hinc 1. Qui dubitat, an commiserit peccatum mortale, vel an commissum sit mortale, aut veniale, tenetur illud confiteri. 2. Qui scit, se peccasse mortaliter, sed dubitat, an illud confessus sit, tenetur confiteri; quia constat de peccato, & de obligatione confitendi, & dubium est, an sit ei satisfactum. *Vide num. 2783.*

3042. Secus est dicendum de iudicio probabilis; qui namque probabiliter iudicat, se non peccasse mortaliter, aut peccatum commissum jam confessum esse, non tenetur illud confiteri, licet aliquam formidinem de opposito habeat; sed potest illi iudicio probabilis prudenter acquiescere, juxta dicta à *num. 59.*

3043. Qui dubitat, an fecerit peccatum ante confessum ut certum, non tenetur iterum confiteri, ut dubium, etiam si certò inveniat, se non fecisse.

3044. Qui integrè confessus est peccatum, de quo dubitabat, an esset mortale, vel veniale, si postea inveniat esse mortale, non tenetur denuò illud confiteri; quia jam integrè suum manifestavit peccatum, nec nova circumstantia explicanda occurrit. Nec est necesse ad Confessionis valorem, quod pœnitens sciat determinatè, peccatum confessum esse mortale, ut etiam de Confessario dicemus. *Vide infra de Cas. Resf.*

3045. Qui confessus est peccatum dubium, si postea reperiat certò, aut probabiliter, illud commississe, tenetur iterum illud, ut certum fateri. *Diana part. 3. tract. 4. resol. 91.* quia peccatum est explicandum, ut est in conscientia pœnitentis; dictum autem peccatum nunc est in conscientia pœnitentis, ut certum, quo pacto non fuit subiectum clavibus, sed ut dubium. *Vide num. 3312.*

3046. Leander verò de *Pœnit. tract. 5. dis. 5. q. 27.* tenet partem negativam; quia jam pœnitens fuit à tali peccato directè absolutus sub conditione implicita: *Si est peccatum.*

3047. Qui recordatur, se peccasse mortaliter in genere, at non de peccato in specie, tenetur confiteri peccatum mortale in genere; quia est materia sufficientis, imò necessaria pro absolutione. Quando postea ejus recordatur in specie, tenetur iterum in specie confiteri, quia tenetur confiteri speciem, & numerum peccatorum, quod non est factum in confessione priori.

3048. Ex his materiis necessaria, & sufficienti de *num. 3037.* addi potest tertia materia remota, nempe materia necessaria, sed non sufficientis: Et sunt peccata mortalia dubia; quae dicuntur materia necessaria, quia sunt necessariò aperienda: non sufficientia verò; quia sola sine additione materiae certae, non sufficienti ad absolutionem absolutam.

3049. In casu autem metaphysico, quod quis non haberet materiam certam praeiteritam, quam adderet, tunc posset dari absolutio conditionata; quia consultur saluti animae pœnitentis, & simul vitatur irreverentia Sacramenti, ut in *num. 3055.*

3050. Qui mendacium in confessione dicit circa mortalia, peccat mortaliter; venialiter, si circa venialia, aut circa ea, quae confiteri non tenetur. *Vide num. 2783.*

3051. Unde, qui scienter dubia confitetur pro certis, vel è contra, peccat mortaliter, nisi hoc faciat bona fide, aut putans consultius, & securius se accusare, aut ita confitendum esse.

3052. Item tenetur pœnitens Confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem; quia Confessarius, cum exerceat munus Judicis, habet jus ad cognoscendam causam, & dispositionem pœnitentis ex circumstantiis, ad providendum. *Vide in pag. 5. prop. 58. ab Innoc. XI. damn.*

FORMA

3053. Sunt verba absolutionis: verba ad valorem Sacramenti necessaria, & sufficientia sunt: *Absolve te à peccatis tuis;* quia est tutius. Mendo verb. *Absolvere num. 9.* Qui relinqueret *Ego, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* extra casum necessitatis, peccaret mortaliter. Preces autem, tam ante, quam post dictam formam adjunctione, nec ad ipsius formae essentiam spectant, nec ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae, ex *Trid. sess. 14. cap. 3.*

3054. Valida est (quamvis illicita) forma, si detur aliis verbis, quae tamen sensum non mutant formae ordinariae, nec actum iudicium. Ut: *Ego tibi remitto, vel condono peccata tua. Tibi à me remittuntur peccata tua. Nos absolvimus te à peccatis tuis.* Si *ly Nos* denotet dignitatem personae singularis absolventis, puta si sit Prælati; secus, si denotet plures personas. Clericatus *cap. 123. num. 6. & 7. ex Scoto in 4. dist. 14. q. 4. & Diana part. 11. tract. 6. ref. 13.* *Vide num. 2951. & num. 3114.*

Non est valida, si proferatur verbis deprecativis: Ut: *Absolvat te Deus. Oro Deum, ut te absolvat.* Clericatus, *cit. num. 9.* ex Scoto *cit.* quia Sacramentum Pœnitentiae est institutum per modum iudicii, ubi sententia non proferitur deprecando, sed jubendo. Et Christus non dixit: *Pro quorum peccatis oraveritis, sed Quorum peccata dimiseritis, dimittentur.*

3055. Absolutio extra casum necessitatis debet esse absoluta; cadere autem debet supra materiam certam, & determinatam. Unde supra peccatum dubium non potest sine sacrilegio dari absolutio determinata; non enim dari potest sententia certa pro delicto dubio. Tunc autem curare debet Confessarius, ut pœnitens addat aliquod peccatum certum, etiam de aliis confessis, & tunc det absolutionem absolutam, & certam. Quòd si pœnitens sit tam sanctus, ut nullum certum habeat, vel potius tam rudis, ut

nullum certum dare sciat; tunc sub conditione, saltem mente retenta, absolvat. Sine ulla materia dari non potest absolutio sine sacrilegio. *Vide num. 3049.*

Absolutio sub conditione de praeiterito, aut praesenti, v. gr. *Si doles, absolve te,* est valida; quia conditio supponitur posita, & certae, sed imprudens, nisi in casu necessitatis, quo pœnitens non valet signa certa doloris praebere. At non est valida sub conditione de futuro; quia effectus Sacramenti, nempe gratiae, non potest manere suspensus, & pendens à contingenti, si pœnitens sit dispositus. Clericatus *cit. num. 10. ex Diana part. 11. tract. 4. ref. 18.*

Neque dari potest ad reincidentiam, quia peccata non sunt mala poena, ut censurae, sed mala culpa; ideo semel remissa non redeunt. *Vide num. 73.*

3056. Absolutio à censuris potest dari sub conditione de futuro, seu quoad reincidentiam. Et dari potest, tam verbis, quam scriptis; imò etiam invitatis, si absolvens id faciat autoritate ordinaria; minime si virtute Jubilaei, aut Bullae Cruciatæ; tunc namque non datur nisi petentibus. Ita Clericatus *cit. num. 14.*

Per illa verba: *Absolve te ab omni vinculo excommunicationis, &c.* absolvitur pœnitens ab omnibus censuris, tam in Confessione expressis, quam ab illis, quorum non recordatur, aut non habet notitiam, in quantum facultas Confessarii se extendit, & dummodo pœnitens habeat intentionem satisfaciendi, si tale sit onus. Clericatus *cit. num. 16. & 17.*

Formam absolutionis à censuris in foro exteriori assert Clericatus *cap. 123. num. 15.* ut sequitur:

Quod absolvendus juret de parendo mandatis Ecclesiae, vel de exequenda poenitentia sibi injuncta; quod dicantur preces à Rituali Romano praescriptae, cum levi flagellatione humeri nudati ipsius pœnitentis; quamvis aliquando hæc caeremoniae possint omitti, & sufficiat dicere: *Ego absolve te à vinculo Excommunicationis, quam ob talem causam incurristi, & restitu te Sacramento Ecclesiae, & Communioni fidelium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* *Coton. ubi supra num. 38.*

FORMA ABSOLUTIONIS.

3057. **M**iseretur tui Omnipotens Deus, & dimittis peccatis tuis perducas te ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens, & Misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus-Christus te absolvat, & ego autoritate ipsius te absolve ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges.

Ego te absolve à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Pascha Domini nostri Jesu-Christi, merita Beatae Mariae semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & malis sustinueris, suis tibi in remissionem peccatorum in augmentum gratiae, & premium vitae aeternae. Amen.

Si pœnitens non fuerit Clericus, omittitur verbum *Suspensionis.*

URGENTE PERICULO MORTIS.

EGO te absolve ab omnibus censuris, & peccatis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

CONTRITIO

3058. **I**n communi est, dolor, & despectio peccati commissi cum proposito emendandi. Est duplex, perfecta, quae dicitur absolutè Contritio, & imperfecta, quae dicitur Attritio. Perfecta est, dolor de peccatis quatenus sunt offensa Dei summe dilecti, & supra omnia. Imperfecta, seu attritio est, dolor de peccatis propter turpitudinem peccati, aut timorem inferni, vel alterius mali.

3059. Differunt ratione motivi, & ratione effectus. Ratione motivi; quia contritio fit ex motivo Charitatis erga Deum, hoc est ex motivo objecti, nempe Dei, summe diligendi. Attritio ex motivo Charitatis erga se ipsum, seu ex motivo timoris poenae, aut horroris mali.

3060. Ratione effectus, quia Contritio per se remittit peccata, & justificat extra Sacramentum, in voto tamen Sacramenti; unde iste talis tenetur sub mortali suo tempore confiteri; attritio verò requirit Sacramentum in re, ita, ut in nullo casu, etiam in articulo mortis, attritio quantumvis supernaturalis sufficiat ad justificationem, & remissionem peccati mortalis sine Sacramento in re. Imò in articulo mortis, si non potest quis habere Sacramentum, tenetur sub mortali conteri.

3061. Attritio in Sacramento Poenitentiae dicitur fieri contritio, & attritio contritus, non formaliter, quia non variatur objectum, seu motivum, sed effectivè quatenus attritio cum Sacramento in re justificat, sicut contritio cum Sacramento in voto.

3062. Non sufficit attritio naturalis quantumvis honesta, qualis est dolor de peccatis ob malum temporale, v. gr. ob amissionem pecuniae, sanitatis, &c. quia non est attritio Christiana, & supernaturalis, cum nullum respiciat motivum supernaturale, ac proinde est improporcionata fini salutis supernaturalis. Hinc ex Trident. *sess. 14. cap. 4.* attritio, quae ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit, debet esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, qualis non est attritio naturalis ex motivo purè humano, & naturali. *Vide in pag. 6. prop. 57. ab Innoc. XI. damn.*

3063. Sufficit verò, si fit propter poenas temporales, v. gr. propter morbum, persecutionem, &c. ut à Deo inflictas, vel infligendas propter peccatas; quia tunc, cum adit respectus ad Deum, & morivum supernaturale, est dolor supernaturalis.

3064. Sufficit attritio ob timorem gehennæ, aut purgatorii; quia cum sint pœnæ Dei, quæ scilicet insiguntur à Deo autore supernaturali ob peccata, eorum timor, & dolor est supernaturalis ex motivo supernaturali, ob rationes de *num.* 90. Et colligitur ex Trident. ibi relato, ubi dum dicit: *Et quamvis sine Sacramento Penitentia per se ad justificationem perducere peccatores nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentia impetrandam disponit: non supponit gratiam justificationis in peccatore causatam, ac proinde non supponit contritionem; quia hæc per se extra Sacramentum, & cum solo ejus voto illam causat. Vide pag. 7. prop. 14. & 15. ab Alex. VIII. damn.*

3065. Dices: Fides supernaturalis cum Sacramento Penitentia in re, attritione seclusa, non sufficit ad justificationem: ergo attritio supernaturalis cum Sacramento in re non sufficit ad justificationem.

Resp. disparitatem esse; quia de fide est, & certum contra Lutherum, fidem non sufficere ad justificationem. Trident. *sess. 6. can. 9.* nec esse partem Sacramenti Penitentia: Et licet non sit definitum, attritionem supernaturalem esse partem; certum tamen est, esse partem, & materiam proximam ex communi sensu Ecclesiæ, quod sufficit *Vide num. 3064.*

3066. Quod autem contritio perfecta hominem reconciliat Deo, & gratiam causet extra Sacramentum, cum solo ejus voto, habetur ex Trident. *sess. 14. cap. 4.* charitati namque perfectæ promittitur peccatorum remissio in Sacra. Script. Proverb. 8. vers. 17. *Ego diligentes me diligo.* Zachar. 1. vers. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos.* Luc. 7. vers. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et 1. Petri 4. vers. 8. *Charitas operis multitudinem peccatorum.*

In Confessione autem non sufficit amor; sed requiritur dolor explicitus; idque ex conceptu formali penitentia, quæ formaliter importat dispendentiam de peccatis. Sufficit autem propositum virtuale ex *num.* 3072. quia verus dolor peccatorum reconciliativus animæ cum Deo, est incompossibilis cum proposito peccandi; unde includit virtualiter propositum de non peccando.

3067. Sufficit attritio ob turpitudinem peccati, ex *Trid. cit. sess. 14. cap. 4.*

Turpitudinem autem peccati est duplex, una naturaliter cognita, talis est turpido inmunditiei, quæ est in peccato carnis. Et turpido vilitatis, & indignitatis apud homines, quæ est in peccato furti, &c. Et dolor ob talem turpitudinem non sufficit; quia est naturalis. *Vide in pag. 6. prop. 9. ab Alex. VIII. damn.*

Alia est turpido supernaturaliter cognita, seu per fidem: talis est turpido peccati opposita alicui divinæ perfectioni (quæ non sit Charitas) supernaturaliter cognita, seu per fidem; aut alicui virtuti

moralis per legem divinam præcepta, ut turpido inobedientia, ingratitude, &c. turpido contra iustitiam, castitatem, &c. Et dolor ex tali turpitudine sufficit; quia est supernaturalis, seu ex motivo supernaturali, nempe ob turpitudinem supernaturaliter cognitam. Secutus in *4. dist. 14. q. 2. & 4. Mairius, Brancatus, & alii hic de Sacra. Pœnit.*

3068. Non sufficit dolor, quo quis doleat, se non dolere peccatorum; quia hic non est dolor, sed carentia doloris peccatorum. Cum hoc tamen dolore solet regulariter esse conjunctus dolor de peccatis, quamvis penitens eum non cognoscat; & tunc est sufficiens.

3069. Qui scienter sine attritione absolvitur, sacrilegium committit, & tenetur confessionem repetere, ex defectu materiae proximæ.

3070. Sufficit unus actus doloris de omnibus peccatis in genere etiam oblitis. Debet autem esse efficaciæ, & universalis respectu omnium mortalium in censu, & in genere.

Unde non sufficit dolor purè particularis, sed requiritur dolor, qui sit universalis, saltem virtualiter de omnibus peccatis commissis.

Dices: potest dari Sacramentum Penitentia: validum, in quo tamen confessio non sit de omnibus, sed purè particularis alicujus peccati, ut constat de peccatis oblitis, & in casibus, in quibus licita est dimidiatio Confessionis; igitur potest dari Sacramentum Penitentia validum, in quo tamen dolor non sit de omnibus, sed purè particularis alicujus peccati in iisdem casibus.

Respondeo, negando consequentiam: disparitas est; quia Confessio omnium peccatorum revera, & absolute commissorum non est semper in nostra potestate, & humanitas possibilis, nam humana conditio est subiecta oblivioni, imò, & accidentibus, quæ impediunt Confessionem omnium, quæ memoriae occurrunt; dolor autem de omnibus peccatis commissis in quovis casu est humanitas possibilis, & in nostra potestate; quia est actus spiritualis internus, qui potest in instanti perfici, ex *num.* 3077.

Hinc Conc. Trident. *sess. 14. cap. 5.* loquendo de Confessione, definit, nos solum teneri confiteri peccata omnia mortalia, quæ post diligens examen memoriae occurrunt. In *cap. autem 4. ejusdem sess.* loquendo de dolore, absolute, & absque reposita limitatione definit, quod contritio, quæ est primus actus penitentis, debet esse dolor de peccato commisso, & continere debet odium veteris vitæ, ac peccatorum detestationem: & quia peccata mortalia oblitata (si quæ sint) sunt verè peccata commissæ, dolor debet saltem virtualiter ad illa se extendere, ita ut si quis doleat de peccatis, quorum recordatur, & haberet animum expressum nolendi dolere de mortalibus oblitis, si quæ sunt, non haberet dolorem sufficientem ad valorem Sacramenti; quia non haberet dolorem verum, & reconciliativum. *Vide à num. 3086.*

Qui

Qui confitetur duo venialia tantum, & dolet solum de uno v. gr. de mendacio, non de alio v. gr. de suspitione, validè absolvitur; quia sicut peccatum illud, utpote veniale, est solum materia sufficiens, non necessaria, ac proinde taceri poterat; ita potest, qui confitetur, de eo non dolere; & aliunde cum jam doleat de uno, jam dat materiam remotam, & proximam, quantum sufficit ad valorem Sacramenti.

Secus esset, si confiteretur unum solum veniale, & de eo non doleret; committeret enim sacrilegium ob gravem injuriam Sacramento, quatenus esset invalidum ex defectu partis essentialis, nempe materiae proximæ.

Item secus esset dicendum de eo, qui confitetur duo mortalia, & de uno tantum doleret, non de alio, quia ex una parte, illud aliud est materia necessaria; adeoque ut sit valida absolutio, debet dari materia proxima, nempe dolor supra illud cadens: ex alia parte non potest remitti unum mortale sine alio.

3071. Qui tenetur confiteri extra Sacramentum, non tenetur præmittere peccatorum examen, sed sufficit, quod doleat in confuso.

3072. Pro valore Sacramenti, tam in attritione, quam in contritione, ex Trident. *cit.* requiritur propositum de cetero non peccandi aliàs non esset dolor efficaciæ: sufficit, quod propositum sit implicitum, & virtuale. Scotus in *4. dist. 14. q. 4. 9.* Ad primum argumentum, *dist. 17. q. unic. in solut. principalium, & alibi.* Vide *num.* 3066. Leander *tract. 5. disp. 7. q. 22.*

3073. Cum proposito sufficienti non peccandi stare potest iudicium probabile reincidentia; quia tale iudicium est actus naturalis intellectus, & non liber. Communis.

3074. Non requiritur dolor sensibilis, sed sufficit intellectivus; quia est actus internus voluntatis, adeoque spiritualis.

3075. Talis dolor debet esse summus, non intensivè, sed appetitivè; ita ut dolor de peccatis sit supra omnia detestabilia, nempe supra omnia mala pœnæ, etiam æternæ; unde debet magis detestari peccatum, quam quodlibet aliud malum.

3076. Hinc dolor summus intensivè est ille, qui dicitur summus quoad intensivè, & graduationem: Dolor summus appetitivè est ille, quo quis dolet, paratus potius omnia bona creata relinquere, & omnia mala pœnæ subire, quam Deum offendere. Unde regulariter fit, ut dolor mali temporalis, puta amissionis bonorum, mortis parentis, &c. sit major intensivè dolore peccati, hic autem fit illo major, imò summus appetitivè, in quantum dolor mali temporalis est major secundum graduationem qualitatis doloris, in qua graduationem consistit intensio doloris; cum quo adhuc stat, quod dolor de peccato sit summus appetitivè, in quantum ita dolet de peccato, ut sit promptus, quod si

ei daretur optio eligendi, potius subiret omnia mala pœnæ, quam peccaret, & hoc pacto dolor dicitur summus in pretio, non in intensione.

3077. Non est autem opus, nec expedit, ut fiat collatio explicita cum omnibus aliis malis, sed sufficit, quod implicitè proponatur detestatio peccati supra omnia detestabilia in confuso: unde actus contritionis, aut attritionis potest fieri in instanti, aut brevissimo tempore, quia est actus internus spiritualis.

3078. Ad valorem Sacramenti non sufficit dolor, qui absolutionem sequitur, aliàs confessio non esset accusatio, sed simplex peccatorum narratio. Non debet tamen necessariò præcedere, sed sufficit, ut eliciatur in iplomente confessionis actu, vel facta confessione ante absolutionem; quia bene salvatur, quod confessio sit accusatio, & quod cum dolore absolutioni subjiciatur.

3079. Non est autem necesse, quod dolor, seu attritio sit immediatè ante absolutionem, vel confessionem; sed sufficit, si quis serò examinans conscientiam, actum doloris eliceret: hic quidem, si manè ad confessionem accederet sine novo actu doloris, confessio esset valida. D. Thomas, & Leander *tract. 5. disp. 7. quest. 6.* Joseph. de August. de Pœnit. *num.* 22. habet: *Sufficit, quod attritio sit ante, quando homo habuit voluntatem consentiendi, & examinandi conscientiam, & nunquam retraxerit talem actum, & universaliter, quovis attritio præcessit, & fuit ordinata ad hoc Sacramentum, & virtualiter potest intelligi permanere usque ad absolutionem.*

3080. Qui paulò ante confessus, & absolutus iterum confitetur aliquod peccatum, quod excederat de mente, de quo antea explicitè, & formaliter non doluit, non indiget novo dolore, sed in virtute prioris doloris virtualiter, & moraliter permanentis potest absolvi. Leander *cit. quest. 5.* Diana *part. 9. tract. 3. ref. 50. & 51.* quia prior dolor, utpote qui fuit virtualiter extensus ad peccata oblitata, ita valer ac si esset novus dolor de solis peccatis oblitis. Eadem ratione (ut etiam praxis docet) potest moribundus propter periculum instantis mortis absolvi auditò tantum uno, vel altero peccato, & postea, si superflus maneat, auditis reliquis, secundo absolvi ab illis ex vi prioris doloris moraliter permanentis. *Vide tom. 3. num. 287.*

Qui igitur ante confessus, reconciliatur, confitendo peccatum oblitum, licet novum faciat Sacramentum, non tenetur novum dolorem elicere, nisi novum peccatum mortale commiserit, aut longum tempus intercesserit; quia mortaliter perseverat dolor præteritus circa omnia peccata elicitus, sicut dolor die hæsterno elicitus sufficit ad Sacramentum, quod die crastino perficitur, ob eandem moralem, aut virtualem permanentiam. Unde hæc sententia est mihi moraliter certa.

Scotus in *4. dist. 14. q. 2. lit. N. O. q. 4. lit. H. d. 15. q. 1. lit. C. d. 17. q. unic. lit. X.* Mairius in *Theol.*

Mor. disc. 21. à q. 1. ad 7. Leander tract. 5. à disp. 1. ad 4. Joan. la Cruz. pag. 387. Bonac. tom. 2. pag. 134. Tamb. in Meth. Conf. pag. 373. ad 378. Bufemb. lib. 6. tract. 4. cap. 1. Cardenas de Sacr. Pan. Clericatus cap. 119.

QUÆRES:

3081. An Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum, & informe?

Quoniam controversia præfens est una ex celebrioribus, quæ inter Scholasticos exagitari solent, fas sit mihi, ut paulisper forma Scholastica utar.

Sciendum est igitur, Sacramentum Pœnitentiæ dici validum, quando constat omnibus suis partibus essentialibus cum intentione Ministrum: Informe verò, non quia careat forma essentiali, sic enim diceretur invalidum, sed quia caret effectu gratiæ, quæ est forma sanctificans animam. Hoc præmissis.

3082. Dico: Implicare Sacramentum Pœnitentiæ validum quoad essentiam, & informe quoad effectum gratiæ. Est Scoti in 4. dist. 1. quest. 5. s. Contra istam opinionem in fine. Contra Divum Thomam.

Probatum 1. Sacramentum Pœnitentiæ validum est Sacramentum verum, & perfectum, constans scilicet omnibus suis partibus essentialibus cum intentione Ministrum; sed implicat, quod Sacramentum Pœnitentiæ sit verum, & perfectum Sacramentum, & non causet gratiam: ergo implicat, quod sit validum, & informe. Minor patet; quia Sacramenta causant gratiam ex institutione Christi, & acceptatione, ac promissione Dei, qui est infallibilis veritatis.

3083. Confirmatur: Sacramentum includens omnes partes essentialium cum intentione Ministrum, est verum signum efficacæ practicum gratiæ; sed implicat verum signum efficacæ practicum gratiæ sine signato, nempe sine gratia: ergo, &c. Minor patet, quia aliàs non esset efficax.

3084. Probatum 2. Nullus potest assignari casus, in quo Sacramentum Pœnitentiæ sit validum quoad essentiam, & informe quoad effectum: ergo, &c. Antecedens probatur ex solutione præcipuorum fundamentorum partis adversæ.

3085. Dices 1. Sacramentum Baptismi potest esse validum, & informe ob defectum dispositionis suscipientis: ergo Sacramentum Pœnitentiæ potest esse validum, & informe ob defectum dispositionis, nempe doloris pœnitentis. Anteced. probatur de adulto sic accedente ad Baptismum, scilicet sine dolore, & fide: hic namque recipit Baptismum validum quoad essentiam, & non gratiam, quam tamen recipit, recedente fitione ex vi Baptismi præteriti.

Resp. hanc disparitatem esse inter Sacramentum Pœnitentiæ, & inter alia Sacramenta impræsentia characterem, ut sunt Baptismus, Ordo, & Confirmatio, quod ista non includunt dispositionem suscipientis, ut partem essentialem; partes enim essen-

tiales Baptismi sunt materia, & forma, nempe aqua, seu ablutio; & verba Sacerdotis cum ejus intentione; & sic pariter de Ordine, & Confirmatione; adeoque cum stare possit quod hæc habeant omnes partes essentialia ad validitatem requisitas, & quod non habeant dispositiones necessarias ad fructum gratiæ, stare potest, quod sint valida, & informia: In Sacramento autem Pœnitentiæ dispositio, nempe dolor, est pars essentialis, est enim materia proxima; adeoque, implicat, quod sit informe ex defectu dispositionis, & quod sit validum. Vide num. 2997.

3086. Dices 2. Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum ex defectu doloris extensivè, hoc pacto: potest dari casus, quod quis habens tantum duo peccata mortalia disparata, v. gr. furti, & odii, invincibiliter oblitus odii, eliciat actum doloris tantum de peccato furti ex peculiari motivo, & speciali turpitudine illius peccati in specie, illudque confiteatur; sed in hoc casu Sacramentum est validum, & informe: ergo, &c. Minor probatur: est validum, quia jam adsumt omnes partes essentialia, jam namque adest sufficiens dolor; quia ex Trid. non tenetur quis confiteri, nisi peccata, quæ memoria occurrunt: nec tenetur elicere dolorem, nisi de peccatis, quæ pariter memoria occurrunt. Esset autem informe, nempe sine effectu gratiæ, quia in casu peccatum odii oblitum non esset remissum, non quidem directè, ut est certum, neque indirectè ex vi absolutionis peccati furti confessi, quia nullum peccatum remitti potest sine ullo dolore formali, aut saltem virtuali supra ipsum cadente; in casu autem nullo pacto caderet supra illud dolor: non formalis, ut supponitur, nec virtualis, quoniam dolor de peccato furti, cum supponatur habitus ex motivo peculiari, & speciali turpitudine peccati furti, non potest virtualiter extendi ad peccatum odii diversæ rationis, & speciei: quia non potest comprehendere sub illa speciali turpitudine. Ex quo fit, quod neque esset remissum peccatum furti confessum, nam (ut est certum) unum peccatum non potest remitti sine alio, & consequenter dari potest Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe. Hic est casus validior, qui à recentioribus opposita sententia affertur.

3087. Resp. admisso casu, negando minorem; quia peccatum odii, ut invincibiliter oblitum est indirectè absolutum; dolor namque formalis de peccato furti virtualiter extenditur ad peccatum odii oblitum, quatenus supposita sufficienti diligentia adhibita in conscientia examine, censetur ille talis promptus ad eliciendum actum doloris, etiam circa peccatum odii oblitum, si menti occurreret; talis enim virtualis extensio doloris specialiter consistit in ea promptitudine de eo dolendi quando menti occurreret.

3088. Et licet motivum doloris formalis furti sit propria ipsius turpitudine in specie, hoc non impedit, quin etiam dolor possit ad aliud peccatum obli-

oblitum virtualiter extendi, saltem ratione turpitudinis genericæ, quatenus peccatum est, & offensa Dei, eo ipso enim, quod dolet de specifica, dolet de generica, nam non potest dolere de ratione specifica, non curando de generica: qui autem dolet de peccato ut sic, & de offensa Dei ut sic, dolet virtualiter de quolibet peccato invincibiliter oblitum; quia quodlibet sub ea ratione comprehenditur.

3089. Hac autem virtuali extensione doloris deficiente, quatenus ille talis allatam promptitudinem non haberet, nec de ratione generica peccati, & offensa curaret, deficeret quidem forma gratiæ, sed simul deficeret Sacramenti validitas, quia deficeret dolor sufficiens ad valorem, esto ob invincibilem ignorantiam non peccaret; & sic deficeret materia proxima necessaria, quæ est dolor reconciliativus cum Deo, qui saltem implicite, & virtualiter detestationem omnium mortalium, etiam inculpabiliter oblitum, includit.

3090. Confirmatur 1. Iste talis, vel ita doleret de peccato furti, ut dolor esset reconciliativus cum Deo, ut scilicet iste talis intenderet se reconciliare cum Deo medio Sacramento, vel non; si secundum, Sacramentum esset quidem informe, sed invalidum ob defectum materiæ necessariæ: si primum, Sacramentum esset non solum validum, sed etiam formatum gratiæ; quia talis dolor reconciliativus cum Deo continet implicitè, & virtualiter detestationem omnium mortalium: sicut liquet de actu perfectæ charitatis, qui virtualiter continet detestationem omnium peccatorum mortalium, quamvis hominum eorum non recordetur; quia actus ille cum affectu ad mortale peccatum stare non potest; & ita universaliter omnis amor efficacæ alicujus boni continet virtualiter, & implicitè detestationem mali contrarii; sic pariter est de dolore reconciliativo cum Deo dicendum.

3091. Confirmatur 2. Nisi offendens efficaciter detestetur offensam amico illatam, & habeat firmum propositum, eum amplius non offendendi, non potest dici, quod habeat verum, & sincerum animum se reconciliandi cum amico, sed simulatum, & fictum, ergo dolor reconciliativus peccatoris cum Deo includere debet efficacem detestationem de offensis commissis, & firmum propositum eum amplius non offendendi; sed dolor sic detestativus virtualiter se extendit ad omnem offensam factam: ergo implicat esse dolorem reconciliativum, & ad omnia peccata, etiam oblita, non se extendere.

3092. Quod dolor debeat esse reconciliativus, constat; quia quæstio procedit, supposita inimicitia hominis cum Deo, & de peccatis mortalibus non jam confessis, nec ritè absolutis, minimè de venialibus; quia venialia sunt materia sufficiens, non necessaria; ita ut si quis confiteretur unum sine alio, etiam advertenter, adhuc vi Sacramenti haberet effectum augmenti gratiæ, unde Trident. sess. 14. cap. 3. de fructu Sacramenti Pœnitentiæ loquens ait: *San-*

ne vero res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo. Adeoque dicitur Sacramentum reconciliantis. Vide num. 3034.

3093. Dices 3. Potest dari casus, quod quis omnia peccata confiteatur, & de omnibus verè doleat, habeat tamen affectum ad unum mortale: sed in hoc casu Sacramentum est validum cum alio sufficiens dolor; est tamen informe, & absque effectu gratiæ ob allatum affectum: ergo, &c.

Resp. Vel nomine affectus ad peccatum intelligitur inclinatio naturalis ad illud, & tunc Sacramentum, & erit validum, & formatum gratiæ; quia potest stare validitas Sacramenti Pœnitentiæ, & effectus gratiæ cum inclinatione ad aliquod peccatum, imò cum probabiliori pravitione reincidentia; quia hæc sunt actus naturales, primus appetitus sensitivi, secundus intellectus; vel intelligitur voluntas peccandi illo peccato, & sic utique Sacramentum est informe; est tamen invalidum ob defectum materiæ necessariæ, nempe doloris efficacis reconciliativi.

Implicat igitur, quod Sacramentum Pœnitentiæ sit informe, & validum.

Quas rationes si attente Lector perpendet, comperiet, sententiam Scoti esse probabilioris, & simul tutiorem, cum non exponat Sacramentum frustrationis periculo, ac proinde esse conformem Decreto Innocenti XI. de sectanda opinione tutiori, quando agitur de Sacramenti valore. Vide num. 75.

CONFESSIO

3094. **E**ST, accusatio de propriis peccatis coram Sacerdote legitimo ad eorum remissionem obtinendam per absolutionem.

3095. Qualitates, seu conditiones bonæ Confessionis sunt sexdecim, his contentæ verbis:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis, Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda, Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata, Fortis, & accusans, & sit parera parata.

1. *Simplex*, veritatem aperiens sine historiarum, & rerum impertinentium admixtione.

2. *Humilis*, sine audacia, aut jactantia.

3. *Pura*, cum animi puritate, & intentione consequendi finem Sacramenti, non ob vanam gloriam, &c.

4. *Fidelis*, referens certa pro certis, dubia pro dubiis sine mendacio.

5. *Frequens*, ut frequenter quis confiteatur.

6. *Nuda*, non palliata coloribus, sed clarè, & distinctè peccata explicentur sine diminutione, aut æquivocatione.

7. *Discreta*, ut peccata verbis honestè explicentur, & probus Confessarius eligatur.

8. *Libens*, ut fiat sponte, non coactè.

9. *Verecunda*, cum pudore.

10. *Integra*, requiritur enim integritas materialis, videlicet ut omnia mortalia, quae memoriae occurrunt non jam confessa, eorumque numerus, & circumstantiae, quae speciem mutant, aperiatur, ex *Trid. sess. 14. cap. 5.*

11. *Secreta*, ut non fiat coram aliis, nisi urgente necessitate, ut infra de dimidiatione. *Vide num. 2912. & 3154.*

12. *Lacrimabilis*, cum dolore saltim interiori.
13. *Accelerata*, ut commisso peccato, confessio non diu differatur. Commisso gravi peccato, praesertim carnis, non debet quidem quis diu confessionem differre, ne labatur in pejus; sed indecens est, si statim, ad Sacramentum accedat, nisi necessitas urgeat; debet enim prius placata sensus rebellione, se disponere per cognitionem, & dolorem patratu delicti, ut si quam primum cum debita reverentia Sacramentum suscipiat.

14. *Fortis*, cum animi constantia, ne ob pudorem, aut timorem aliquod peccatum mortale omittat.

15. *Accusans*, ut fiat per modum accusationis, sine exultatione.

16. *Parere parata*, videlicet cum animo poenitentiam implendi, & Confessarii consilii standi.

3096. Ex his conditionibus solae tres sunt necessariae ad Sacramenti valorem, nempe fidelitas, integritas, & dolor. *Vide num. 3040. & 3050.*

EXAMEN.

3097. **P**RO integritate materiali esse necesse, ut praemittatur examen sufficiens. Diligentia in examine non debet esse summa, & scrupulosa, sed mediocris, & humana, qualem vir prudens in arduis negotiis, adhibet, etiam si putet majori, & nova diligentia, se plura reperit. *Scotus in 4. dist. 17. q. unic. lit. B. dist. 9. q. unic. lit. B.*

3098. Ad tollendos scrupulos notanda est doctrina Sancio in *Selectis*, *dist. 41. num. 18.* Quod post medicam istam diligentiam adhibitam in conscientia examine, non tenetur quis (etiam si non sit scrupulosus, sed experius) ulterius de antea vita cogitare, & si aliquid occurrit, quod putet, non fuisse in Confessione explicatum, potest sibi persuadere, cum ceteris id memoratum fuisse. Hanc doctrinam communiter famosam, & celebrem vocant Doctores, praesertim Diana p. 3. *tr. 4. ref. 107. Volpi ref. 146. num. 11. Sa, Bufenb.*

3099. Hanc autem doctrinam Sancio amplector loquendo de Confessionibus antiquis, & in vita praeterita actis, atque etiam in Confessionibus generalibus; quia aliis utique gravis perturbatio, & confusio mentis posset oriri, quam Deus non vult; minime in Confessionibus ordinariis, & regulariter; licet enim post dictam diligentiam, non sit de antea vita cogitandum; regulariter tamen loquendo, si aliquid peccatum occurrat, quod quis prudenter, & non scrupulose dubitat non esse confessum, & maxime, quod certo scit, se non esse con-

fessum, tenetur illud confiteri, quia hoc secundum est certo cognitum ut oblitum, & nos tenemur in Confessione sequenti, exprimere peccata ob quantumque causam oblita, quia cum fuerit absoluta indirecte, sunt subiicienda clavibus directe. In dubio autem de Confessionibus antiquis, aut generalibus, potest quis prudenter probabiliter iudicare, si illud esse confessum; quia longa distantia temporis, aut multitudo illa materia non permittit distinctam memoriam. Hac adhibita limitatione, laude digna est Sancio doctrina. *Vide in pag. 2. prop. 11. ab Alex. VII. damn.*

3100. Praefata autem diligentia non debet esse eadem in omnibus, sed major, vel minor, considerata distantia inter unam, & aliam Confessionem, & poenitentis conditione, nempe ejus intelligentia, & conscientia; nam longe minor requiritur in personis timoratis, & qui frequenter confitentur, ut Sacerdotes; hi namque scitu oculi intellectivi supra diem praeteritam, faciliter peccata, si quae sunt, reperiunt. Et timorati, si in aliquod mortale ceciderint, haud melius, quam ejus recordantur, quia ab eo tunc, quo peccant, solet eos mordere, & affligere conscientia peccati.

3101. In examine magna uti debet Confessarius prudentia: si enim ipse sit doctus, & ad eum accedat pro Confessione poenitens rudis sine sufficienti examine, melius est illum interrogare, & juvare, ut numerum, & speciem peccatorum declaret, quam dimittere, ut diligentius se examinet; quia verisimiliter creditur, id illi fore minus utile, & melius peccata declaraturum mediis Confessarii interrogationibus, quam si ipse per se conscientiam diseuteret.

3102. Idem sapè contingere potest in Confessionibus plurium annorum, si poenitens, vitii seditus, nesciat, quo se vertere, & unde incipere.

3103. Non tenetur quis cujusvis memoriae, peccata scribere, ne memoria excidant; quia praecipuum est de aperiendis peccatis, quae sunt in memoria.

3104. Viri docti interrogari non solent, quia prudenter creditur, eos exprimere, quidquid oportet.

INTEGRITAS CONFESSIONIS

3105. **E**ST duplex, materialis, & formalis. Materialis habetur, quando poenitens omnia peccata mortalia secundum speciem, & numerum, prout memoriae occurrunt, confitetur, ita ut nullum eorum remaneat aperiendum. *Vide num. 3142.* Formalis est, quando poenitens omnia peccata mortalia, prout memoriae occurrunt, confitetur, quantum hic, & nunc potest, ac tenetur, licet aliquid ex necessitate, aut impedimento omittatur, cum voluntate illud postea aperiendi, necessitate, aut impedimento cessante. Sapè quis ab integritate materialis excusatur, ut infra ad num. 3113, numquam verò ab integritate formali, ut in num. 3070. *Vide tom. 3. ad num. 278. ad 292.*

3106. Si quis habens mortalia, & venialia, prius confiteatur uni mortalia, postea alteri, apud quem bonam opinionem conservavit, nimia verecundia affectus confiteatur venialia, non peccat contra Confessionis integritatem. *Leander, Bonac. Arf. dekin tom. 2. pag. 227. num. 13.* quia venialia non sunt materia necessaria. Et mortalia respectu posteriorum Confessarii, cum supponatur ritè confessio, & absoluta à priori, pariter non sunt materia necessaria.

3107. Moribundus, seu in periculo mortis constitutus, qui loquelam amisit, absolute debet absolvi, si nutu, aut signo aliquo Confessionem petat, vel dolorem de peccatis ostendat; quia per tale signum dat materiam sufficientem, nempe peccata in genere. Idem dic, si ea signa in absentia Confessarii dederit, & postea ab aliis illi renuncietur.

3108. Si moribundus nullum signum dederit, aut dare possit, non esse absolvendum, tenet Diana *part. 3. tract. 3. ref. 8. part. 9. tract. 6. ref. 20.* Bufenb. & alii; quia nulla est data materia, nec explicita, nec implicitè per aliquod signum sensibile: Nec Juxta potest dare sententiam reo, nisi accusatio explicita, aut per signa sensibilia praecedat.

Dico tamen, esse absolvendum sub conditione, si prius probè, & Christianè vixerit, & Sacramenta frequentaverit. *Leander de Poenitent. tract. 5. d. 5. q. 46. Tamb. Volpi ref. 149. num. 17.* & quamplures alii. 1. Quia de hujusmodi viro probò in articulo mortis constituto, prudenter dubitari potest, an prius Confessionem petierit, & non fuerit auditus, aut aliquod signum externum dederit, quod non fuerit visum; imò dubitari potest, an etiam de facto aliquod signum externum det, quod propter ejus virium imbecillitatem non videatur.

2. Quia ad recipienda Sacramenta Eucharistiae, & Extreme Unctionis in articulo mortis, sufficit, quod per vitam Christianam, quam quis duxit, implicitè ostenderit voluntatem ea recipiendi in articulo mortis.

3. Quia in dubiis, aut opinionibus circa necessaria ad salutem, tutior pars est amplectenda, ut patet ex num. 77. sed in casu agitur de re necessaria ad salutem, & adest dubium, aut opinio pro utraque parte: igitur tutior pars est eligenda, qualis est pars affirmativa. Ed maxime, quia omne cessat periculum irreverentiae Sacramenti, & sacrilegii, dum absolutio sub conditione datur.

Idè hanc opinionem (ut refert Diana *part. 3. cit.*) amplexus est in praxi Clemens VIII. qui videns quendam à fabrica S. Petri cadentem ex remore locandam, statim absolutionem sub conditione dedit, dicens: *Si es capax, ego te absolvo à peccatis tuis.*

3109. Hac occasione Clericus *cap. 123. num. 4.* casum proponit, qui sequitur:

Quid dicendum, si quis petat Confessionem in articulo mortis, & ibi non adit, nisi Sacerdos mutus; an talis Sacerdos audiens peccata, possit absolvere nutibus, vel scribendo in pagina: *Ego te absolvo*

Resp. Doctores in hoc casu timidè consentire, ut sic data absolutio sit forma valida Sacramenti; nam certum est, eam consistere in verbis. Porro stante casu extremae necessitatis, docent, melius esse, ut sic mutus Sacerdos absolvat, quam ut se omnino retrahat; nam sicut moribundus, qui supponitur dolere de peccatis, potest absolvi, quamvis signa expressa non dederit, sic videtur non reprobanda talis absolutio, Diana *part. 11. tract. 6. ref. 14.* Coton. *ubi supra, num. 2. & 3.*

QUAERES:

3110. An si quis non possit peccatum aliquod mortale, aut circumstantiam confiteri sine manifestatione complicitis, possit, aut debeat illud tacere, non alio immo inmente damno, nisi sola notitia, & infamia apud Confessarium?

Afirmant, quod aliis peccatis confessis, debeat illud tacere, cum proposito illud postea aperiendi capta opportunitate alterius Confessarii, Diana *part. 1. tract. 7. ref. 49.* Volpi *ref. 150. num. 7.* & alii plures; quia praecipuum de servanda fama proximi, cum sit juris divini naturalis, fundatum in illo principio: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: magis urget, quam praecipuum de integritate materiali Confessionis, cum sit juris divini positivi.

3111. Respondeo negativè, nimirum poenitentem non debere illud peccatum tacere, sed confiteri, si alius Confessarius, qui complicem ignoret, non adit, & non possit aliter peccatum, vel circumstantiam explicare, quin complicem manifestet. *Scotus in 4. d. 2. l. 2. lit. D. Bonav. D. Thom. D. Antonius, & D. Bernardus, quos citat, & sequitur Leander de Poenit. tr. 5. d. 5. q. 61. cum communi.*

Probat: Praecipuum Christi de integritate materiali Confessionis obligat poenitentem ad manifestanda propria peccata, & subeundam apud Confessarium infamiam propriam, si quae sit: ergo à fortiori obligat eadem manifestanda, & subeundam apud Confessarium infamiam complicitis, si quae sit. Sequitur ex disparitate non assignanda; & à fortiori; quia magis quis tenetur ad propriam, quam ad alienam famam servandam. Tum quia peccator, per hoc, quod peccat, cedit juri suo quoad famam apud Confessarium.

3112. Ceterum nullam infamiam adesse ostenditur ad hominem. Ex Diana p. 3. *lit. & tract. 5. ref. 32.* non infamat proximum, nec peccat mortaliter, qui adulterium secretum uxoris communicat viro taciturno per modum consultationis, aut injuriam ab alio sibi illatam ad leniendum dolorem: ergo non infamat complicem, nec peccat, qui proprium peccatum sine manifestatione complicitis confiteri non valens, illud communicat Confessario per modum Confessionis Sacramentalis, & ad vitam animae obtinendam. Sequitur à fortiori, quia amicus ligatur sigillo naturali, Confessarius Sacramentali. *Vide num. 2750. & 2759.*

DE DIMIDIATIONE CONFESSIO-
NIS.

3113. **U**rgente gravi necessitate, potest licite dimidiari Confessio, tam à Sacerdote in ordine ad celebrandum, quam à laico in ordine ad communicandum, ob rationem de *num.* 284. *in tom.* 3. Hæc autem necessitas, seu causa ab integritate materiali excusans non debet esse quæcumque, ob rationem de *num.* 285. *ad 289. tom.* 3. sed sola impotentia physica, aut moralis, ita ut ex una parte urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, & ex alia adsit impotentia confitendi.

IMPOTENTIA PHYSICA

3114. **H**abetur, 1. Si imminet periculum mortis, & patiens non habeat tempus confitendi omnia. 2. Si imminet multitudo moribundorum, ut tempore pestis, naufragii, subiri prelli, incendi, &c. Imò in his casibus possunt omnes simul, dicto uno peccato, quod minus infamat, vel secundum alios (si aliter fieri non possit) dicendo in genere, *se esse peccatores*, absolvi per hæc verba: *Ego vos absolvo, &c.* 3. Si infirmus nimis fatigetur in dicendis peccatis, hic potest dimidiare, & in posterum relinquere; & est absolvendus, ne morte præventus, sine absolute decedat.

3115. **V**ir ignoti idiomatis non habens copiam Confessarii, qui illum intelligat, potest dimidiare Confessionem, non solum instante præcepto divino, sed etiam Ecclesiastico; quia in eo casu facit, quod moraliter potest. Idem dic de mutò, aut valde balbutientis lingua, qui signis consistunt, quomodo possunt. Ita Leander de *Sacram. Poenit. disp.* 5. q. 56. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *ref.* 131. Vide *num.* 2912.

IMPOTENTIA MORALIS

3116. **H**abetur, quando non leviter, sed prudenter timetur grave damnum corporale, vel spirituale, proprium, vel alienum, *ut in tom.* 3. *num.* 284. & 289.

3117. In his casibus licita est dimidiatio Confessionis, non solum in articulo mortis, & quando obligat præceptum Divinum, aut Ecclesiasticum confitendi; sed etiam quando non obligat, si non brevi, sed longo tempore esset differenda Confessio; quia diu privati fructu huius Sacramenti, est notabile damnum. Ita Leander, Diana, & alii.

3118. **C**irca peccata, quæ tacet, non requiritur contritio, sed sufficit attritio, & propositum consistendi illa, cessante periculo, seu impotentia, quia per Sacramentum jam ab illis indirectè absolvitur. Vide *tom.* 3. *num.* 288.

3119. **N**on licet dimidiare Confessionem ratione magni concursus penitentium, & sic dimidiare confessos absolvere; quia qui habet necessitatem Confessionis valde longe, potest, & debet ad aliam diem expeditorem remitti. Tum quia id cederet in scandalum, & animarum perniciem; nam perditum possent diem magni concursus eligere; ut sic dimi-

diatè confiterentur, & absolverentur, quando materia exposceret speciale Confessarii curam, & medicinam, quam ob penitentium multitudinem adhibere non valet.

3120. **S**i autem occurrat necessitas Confessionis adeò longe, ut tunc perfici non possit, & ex alia parte non possit ille sine scandalo, damno, aut infamia, Missam, seu Communionem, omittit; tunc potest ille cum sola contritione, & voto Confessionis celebrare, aut communicare; vel si prudenter timeret contritionem sibi difficilem, potest attritus confiteri dimidiatè. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *ref.* 75. *tract.* 13. *ref.* 53. Similiter quando Parochus deferens Eucharistiam ad infirmum, audiens brevem reconciliationem, advertit cum teneri ad longam Confessionem, quam sine scandalo, & infamia tunc prosequi non potest, potest dimidiatè confesum absolvere, & communicare, & redire ad Confessionem. Vide in *pag.* 6. *prop.* 59. *ab Innoc. XI. damn.*

C A S U S:

3121. **S**acerdos, aut laicus habens cum non reservatis casum reservatum, si urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, & solum adest Confessarius valens à non reservatis absolvere, probabilius mihi est, quod debeat confiteri inferiori, tam non reservata, quam reservata; quia præceptum de præmittenda Confessione obligat ad integram, nedum formaliter, sed etiam materialiter; à qua integritate materiali solum excusat necessitas cadens supra ipsam dimidiationem, non supra celebrationem, uti est in casu; damnum namque, aut infamia non timetur ex Confessione reservati, sed ex omissione celebrationis. Et sic absolvitur ab omnibus peccatis, directè à non reservatis, indirectè à reservato, & non dimidiari Confessio. Volpi *ref.* 63. *num.* 11. Vide à *num.* 3358.

3122. **P**eccatum dicitur directè absolvi, quatenus aperitur Confessario habenti legitimam potestatem in illud, qui proinde illud directè absolvit; indirectè, quatenus absolvitur ratione concomitantia cum peccato directè absoluto, quod dupliciter contingere potest.

1. In peccatis oblitis, quæ quando quis confitetur, dicuntur absolvi indirectè, ex vi absolutionis directè data supra peccata confessa, in quantum non potest remitti unum peccatum sine alio, sed gratia omnia expellit.

2. Quando quis urgente necessitate celebrandi, aut communicandi, confitetur Confessario inferiori plura peccata, quorum alia sunt reservata, alia non reservata; tunc à reservatis absolvitur, non directè, quia ea non cadunt sub potestate Confessarii; sed indirectè ex vi absolutionis directè data supra non reservata, cum onere, ut postea accedat ad superiorem, aut Confessarium, ut ab eo absolvatur à reservatis directè, cui solum sufficit, ut confiteatur ipsa reservata, minimè alia, quia ab aliis jam fuit directè absolutus.

DE CIRCUNSTANTIIS PECCATORUM.

3127. **C**ircumstantia est, *accidens actui humano adiacens*, circumstantia sunt septem. Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur Quomodo, Quando.

Quæ sunt necessariò in confessione aperiendæ, si mutent speciem.

Q U I S

3128. **S**ignificat qualitatem peccantis; v.gr. in peccato fornicationis, an sit conjugatus, voto castitatis ligatus, &c.

3129. Religiosus professus non tenetur exprimere circumstantiam Religiosi, sed voti, etiam si sit Sacerdos; quia sola virtus castitatis, & Religiosis, tam à statu Religioso, quam ab utroque voto intenditur. Nec explicare tenetur circumstantiam voti solemnissimi, quia, votum solemnè, & simplex non variant speciem, sed differunt accidentaliter secundum magis, & minus. Pariter mulier habens rem cum Religioso Sacerdote, sufficit, si dicat: *Habui rem cum habente votum castitatis*. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *ref.* 67.

3130. Conjugatus habens rem cum conjugata tenetur utriusque statum exprimere; quia habetur in eo actu duplex malitia, & injuria, quæ licet sit ejusdem speciei, & contra eandem virtutem, est tamen explicanda, ut explicetur peccatum in individuo, quod factum est; quod aliàs non explicaretur. Tum quia frangere fidem, & cooperari, ut alter frangat fidem, sunt diversæ speciei. Idem dic, si uterque sit ligatus voto castitatis. Vide *num.* 2141. 2162. & 553.

Subditus injuria afficiens, aut percussus Superiorem, non sufficit, si dicat, se percussisse, &c. Religiosum, sed debet circumstantiam Superioris aperire; quia addit malitiam specialem contra observantiam Superioris debitam.

Si quis haberet rem cum muliere dormiente, debet circumstantiam aperire: quia infert injuriam, nam dormiens est quasi invita. Vide *num.* 2143.

3131. Prælati, seu Superior non tenetur in peccato fornicationis, aut alio peccato hominis, circumstantiam Prælationis exprimere, nisi peccet cum publicitate, & scandalo; quia talis circumstantia non mutat speciem: excipit peccata Superioris, quæ scilicet ejus concernunt officium.

3132. Frigidus, Banuchus, si fornicetur, aperire tenetur circumstantiam Impotentia generandi; quia mutat speciem contra naturam; nam ejus caret sine, ad quem est à natura ordinata. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *ref.* 139.

3133. Religiosus habens votum solemnè castitatis, si faciat votum se non pollendi, & se polluat, non tenetur exprimere hoc votum. Leander; quia utrumque votum eandem virtutem intendit, imò secundum non est distinctum, sed confirmatio primi.